

est ab Hermanno, qui ex Lipsiensi codice eum descriptum esse intellexit. Alius codex Augustanus, a Reisero p. 81. n. 16. memoratus, nunc Monacensis 565. chartaceus, saeculi XVI. praeter Pindari Nemea et dimidiam primi Isthmii carminis partem Septem adversus Thebas continet. Cuius aliquotiens ab Hermanno mentio facta est.

*Baroccianus* 231. idem qui *Oxonienis*.

*Cantabr.* 1. et 2. Codices duo bibliothecae Academiae Cantabrigiensis (Nn. 3. 17.), uno volumine comprehensi. Olim fuerunt Richardi Meadii, qui in monte Atho eos emerat; unde Blomfieldio *M.* 1. 2. dicuntur. Uterque Prometheus, Septem, Persas continet. Chartaceus est uterque, sed prior saeculi XIII. vel XIV. alter saeculi XVI. vel XV. esse visus est Butlero. Vsi eis sunt Butlerus et Blomfieldius.

*Colb.* 1. Codex bibliothecae Colbertinae 4016. bombycinus, saeculi XV. Collatione in Needhami usum facta Butlerus et Blomfieldius usi sunt. Eum Hermannus eundem esse putavit ac *Par. N.* idemque Elmsleium se docuisse Blomfieldius in praef. ad Sept. adv. Th. narrat. Nec videtur dubitari posse, sed errore nescio quo aut detrimento codici postea illato explicandum esse quod in versibus Promethei 895—931. Stanl. (897—936. Herm.) nonnulla ex *Colb.* 1. afferuntur, pro quibus versibus Vauvillersius in Parisino N. lacunam esse dicit. Tamen quum nonnunquam, errore puto eorum qui excusserunt, alia ex *Colb.* 1. alia ex *Par. N.* afferri viderem, inde a Persarum versu 600. semper utriusque libri mentionem feci, ut fecerat saepe etiam Hermannus.

*Colb.* 2. Codex bibliothecae Colbertinae 6448. bombycinus, scriptus anno mundi 6807. h. e. Christi 1299. Hunc codicem quum Blomfieldius in praef. ad Sept. ab Elmsleio edoctus dixisset eundem esse atque *Par. A.* nescio quo errore factum est ut Wellauerus et passim alii hunc codicem *Colb.* 2. et *Par. B.* qui Boistallerii olim fuerat, confunderent. Collatione in usum Needhami facta usi sunt Butlerus et Blomfieldius.

*Lambethanae* bibliothecae codicem, chartaceum, saeculi XIV. in Persis aliquotiens commemoravit Blomfieldius.

*Lips.* Codex bibliothecae Lipsiensis urbanae (I. 4. 43.), olim Vffenbachii, chartaceus, saeculi XV. Folia habet quadrata 116.